




BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS  
CRACOVENSIS

*kat.komp.*

43168


*Mag. St. Druz.*


*I*



43168

~~Oden. St. Bndk.~~  
I





43168

*Richstadius*

PROGRAMMA

Hoc lectionibus Anatomies Culto-  
ribus ac Studiosis omnibus & singulis cum  
debita observantia Amoreque  
officioso

S D P.

43168  
I



*Medyc. pol. 29/19*

*1768*

**D**Eus, unicus & summus omnium rerum Conditor, non solum in Coelis, Elementis, Plantis, Metallis, & Brutis Animantibus vestigia suæ sapientiæ & potentiæ, sed & in ipso Homine, tanquam Microcosmo & omnium animantium magniq; Mundi perfectione & Complemento, omnibus Philosophiæ cultoribus luculenter ostendere voluit: Siquidem is præ cæteris animalibus secundum Naturam Universi quoad superiores & inferiores partes est dispositus, teste illo Genio & Interprete Naturæ Aristotele lib. 8. Phisic. c. 2. text. 18. Et lib. 1. hist. Animal. c. 15, Quamobrem nos idem Philosophus l. 1. de partibus Animal. c. 5 juberet aggredi sine ullo pudore, Hoc naturæ humanæ Numen, ubi nihil temerè, nihil fortuitum; sed omnia alicujus Boni, Pulchri & Honesti gratiâ facta esse deprehendimus: At verò non aliter, nisi per Administrationem Anatomicam, humani corporis partes, ossa, cartilagine, ligamenta, membranas, fibras, cutem, carnem, vasa, humores, pinguedinem, medullam, & omnia instrumentalia membra ex hisce composita, neq; eorum substantiam, temperamentum, magnitudinè, numerum, figuram, situm, nexum inter se, actionem, & usum, nec non diversitatem ab animalibus irrationalibus cognoscere possumus. Hinc quovis tempore Naturæ Amatores & Medici non tantum bruta sed & Cadavera humana excoriare, exenterare, eviscerare, deartuare & exossare haudquaquam sunt veriti, ut hominis conformationem legitimam, causas morborum & occultorum affectuum inde discerent, bonumq; Medicum in usum hominum collocupletarent. Etenim sine Anatomes exercitio debito manca & mutila evadit universa Medicina, Quippe licet in reliquis animalibus, simiis, canibus, ovibus, felibus &c. aliquid simile humani corporis membris inventiatur: Tamen in multis partibus sæpe inter hominis brutiq; animantis membra visceraq; notabile occurrit discrimen, ita ut ex hominis structura, Dei, Conditoris omnium, admiranda sapientia, infinita potentia & nunquam satis prædicanda bonitas in primis eluceat. Hinc instituto nostro hosce versus Juvenalis Poetæ lib. 4. Satyræ 2, vers. 24. & seq. meritò possumus applicare:

Despi-

Despicimus, qui scit, quantum sublimior Atlas  
Omnibus in Lybiæ sit montibus, is tamen idem  
Ignoret, quantum à reliquis animalibus absit  
Unus homo, cœlis descendit *γῶθι σεαυτὸν.*

Ob hosce præclaros fines hodie Magistratus passim Anatomica exercitia concedūt, & cadavera humana jubent dissectionibus subiici, & ab omnibus inspici. Imò compertum est, Regibus in Ægypto olim fuisse studiū scrutari & inspicere corpora mortuorum hominum causasq; valetudinum occultâ fide cognoscere, sicut Plinius lib. XIX Nat. Hist. c. 5, author est. Propterea olim Alexandrina Schola etiam ob studiū Anatomicum fuit celebrata & à Galeno suo tempore lib. 1. de Anatom. Admin. c. 2. & lib. 2. ejusdem c. 1. Medicinæ Studiofis serid commēdata, ut eò hujus solius rei discendæ gratiâ proficiscentur. Hujus enim Gymnastii Extimius Anatomicus olim fuisse perhibetur Herophilus, qui, ut omnia in homine cognosceret, ad sexcenta cadavera dissecuit, Celso in præmio de re Med. Tertulliano lib. de Anima c. 10. & 25. ut & Galeno lib. de Dissec. vulvæ cap. 5. referentibus, Et si vero hîc Anatomici cernant sæda, insvavia contrectent, & sæpe ex alienis miseriis proprias molestias capiant, monente Hippocr. lib. de flatibus: Nihilominus tamen etiam hic voluptas quædâ animi ex consideratione legitimæ partium conformationis, figuræ decentis, numeri & situs convenientis, magnitudinisq; justæ percipitur, quâ Aristot. 1. 1. d. part. Animal. c. 5, *ἀνιχάρων ἡδονῆν* vocat. Hanc ob causam etiam factum est, quòd Magnificus Senatus & Amplissimi Scholarchæ jam ante 50. ferme annos hîc Dantisçi in Gymnasio nostro Scholam Anatomicam adaperuerint, quemadmodum Excellent: Physicus & Anatomicus olim D. Joach Olhastius in Disputatione publica An. 1613. de Abdominis continentibus partibus habitâ, meminit Proinde & nunc munifici Domini Scholarchæ & æquissimi Judices literariæ rei & studio Anatomico bene cupientes nobis hunc locum & subjectum Anatomicum indulgent, ut & imposterum in hoc studio feliciter versari queamus: Id quod meritò gratâ mente agnoscimus & ideo hîc publicè prædicamus. Itaq; ad

ad inspectionem & considerationem hujus subiecti omnes omnium  
ordinum Naturalis scientiæ & Anatomix Cultores, eò, quo parest,  
observantiæ debitiq; honoris cultu & affectu invitamus, ut & Stu-  
diosos Gymnasii nostri ad contemplationem suæ naturæ hoc pro-  
grammate excitamus, & ad colendum illud studiû seriò hortamur.

Incipiemus autem ostendere partes singulas per Anatomem re-  
texendas hujus cadaveris humani d. 15. feriâ 4. præsent. Mensis Mart.  
ab horâ secunda Pomeridiana usq; ad quartam, & subsequentibus  
diebus iisdem horis hanc cœptam telampergemus detexere, donec  
integram compagem abolverimus. Quod ad meam attinet imbe-  
cillitatē, equidem fateor, me onus multò majus, quam virium mea-  
rum infirmitas permittit, subire; Nihilominus tamen quum & Cl.  
Medici & Chirurgi mihi succurrere velint, idcirco mei muneris esse  
duxi, eò progredi, quò conjunctæ nostræ operæ nos ire velint. Cæ-  
terû quum in omnibus Academiis & Gymnasiis more receptum sit,  
ut spectatores hujus exercitii, qui non sunt ex ordine Amplissimi  
Magistratus, Judicum, Ministerii Ecclesiastici, & literario, suam  
Tesseram adferant, ne quisvis citra delectum admittatur; Ideoq;  
ex benignâ concessione Dominorum Scholarcharum hi ab Anato-  
mes Professore petant tesseram aliquo ære redimendam, & dictâ  
horâ secundâ pomeridianâ in Gymnasio Gedanensi Auditorium  
Anatomicum adeant. Deo autem, *μειλιω* *τεχνη* rerum omnium,  
felicem successum hujus qualiscunq; exercitationis Anatomicæ  
devotè commendamus.

P. P. Gedani, die 14. Martij feria 3.


Anno Æra Cbr. 1651.


LAVRENTIVS EICHSTADIUS, D.

06 0 300









Biblioteka Jagiellońska



std:0012627

